



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Decimus Imperator Hotankiaus. Imperavit annis IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

DECIMUS IMPERATOR
HOTANKIAU S.

Imperavit annis IX.

Cycle 20. anno
24. ante Chrys.
sum 1534.

HIC V A R I G N I frater natu minor sceptrum adeptus, quod ille sine prole extinctus esset immaturâ adhuc ætate: ob Crocei fluminis inundationes denuo sedem regiam mutavit, loco editiore delecto ad S I A N G , quæ H O N A N A E provinciæ olim civitas, hodie K I N G T E appellatur. Neque hic quidquam memoriam dignum gessit; uno tantum filio, quem optimum reliquit, imperij successore felix.

V N D E C I M U S IMPERATOR.

Z U I E U S.

Imperavit annis XIX.

Cycle 20. anno
33. ante Chrt.
sum 1545.

IS Z U I E U S fuit, cui post obitum Pacifici cognomen adhæsit, subiectam gentem, quoad vixit, in profundissimâ pace continentis. Quâ in re magno illo adjumento Colai summi Præfecti virtus fuit. Hoc enim nomine Colau m, quod adjutorem seu privatum significat, Sinæ vocant. Quâ voce nos etiam utemur deinceps, ut eum à ceteris, summis item tribunalium Præfectoris discernamus. Hujus ergo Colai, cui nomen H I E N T U S , virtute ac prudentiâ effectum, ut reguli beneficiarij omnes, nec pauci dynastæ summo consentu & amore pari Z U I E U M ut Imperatorem amplecterentur; promissimi semper ad reverentiam obsequij.

Etsi verò jam supra de regulis ac dynastis illata mentio est, quales fuerint & unde; hoc tamen loco denuo notari velim, eos omnes ex imperatoriâ stirpe vel filios, vel nepotes fuisse. Nam unâ in familiâ penes unum duntaxat suprema potestas erat; reliqui dignitate regulorum